



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. XXXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

tiam adhibeant, vt ne feminae secula-  
res monialibus vestibus induta ad fu-  
nus prodeant.

## Decretum. XXXV.

Apostata iu-  
ra sua exhi-  
beant.

QVAM detestabile sit apostatarū  
genus, vt pote cum homines sint, quos  
voti fidem qua se Deo sanctè adstrinxerunt,  
violare non puduerit; id cum ex pa-  
trium sententijs, sacrosanctis Canonum  
legibus, & summorum Pontificum, Mar-  
tini Quinti in primis, & Pauli Quarti  
constitutionibus, tum ex re ipsa atque  
exitu intelligi licet: præsertim cum ne-  
mo sit qui nesciat, quanta, & quam gra-  
uia sint Ecclesie Dei per eos omni tem-  
pore importata incommoda.

Cumq; ad nos perlatum sit, eos plerosq;  
varijs confictis causis asseuerantes sibi  
licere extra Monasteria que sui ordinis  
sunt, degere; hosq; ipsos non modò in no-  
stre & vrbs & diæcesis Ecclesijs diui-  
na officia obire, sed etiam (id quod gra-  
uissimum est) temeritate quadam addu-  
ctos hoc impetrare ausos esse, vt sibi ec-  
clesiastica beneficia, quibus etiam ani-  
marum curatio inest, conferantur: nos  
igitur vt hanc perniciosam hominum  
pestem à nostre diæcesis finibus aliqua  
inuita ratione arceamus, vniuersis & sin-  
gulis qui habitu ordinis sui deposito in  
diæcesi nostra extra religionis sue Mo-  
nasteria viuunt, hoc edicimus, vt men-  
se postquam hæc decreta in lucem emis-  
sa erunt, facultatem nobis ostendant at-  
que exhibeant, qua sibi licere putent ab  
ordinis sui Monasterijs abesse. Si qui  
præterea ex his in nostra Ciuitate siue  
diæcesi beneficium Ecclesiasticum obti-  
nent, eo præscripto tempore illorum et-  
iam beneficiorum que obtinent, titu-  
los nobis exhibeant. Qui verò ad consti-  
tutam diem hoc non præstiterint; i om-  
nes tanquam veri apostatae, & ordinis  
sui desertores, à nostre diæcesis finibus  
nulla alia lata sententia statim exulent;  
& si qui beneficia ecclesiastica obtinet,  
illis ipso iure priuati sint.

Quòd si postea in nostre diæcesis fini-  
bus comprehenduntur, graui illa apostata-  
rum poena afficiantur, que summorum  
Pontificum sanctionibus contra eos con-  
stituta est.

## Decretum. XXXVI.

ECCLESIA RVM Rectores ne  
Ecclesiasticorum prædiorum arbores ce-  
dant, nisi quæ cæduæ sunt. si tamen vlti-  
mè venerit, vt alias arbores nõ cæduas, vel  
ad ecclesiam, vel ad ecclesiasticas ædes  
sarcindas restituenda sive, aut aliam ob  
causam cædi oporteat; tunc facultate  
prius à nobis scripto impetrata, id ab ip-  
sis fieri liceat.

Arbores in  
prædijs ec-  
clesiasticis si  
ne licentia  
ne cædatur

## Decretum. XXXVII.

NE MO est qui nesciat, quam gra-  
ue peccatum sit, bona cuiusuis generis,  
fructus, emolumenta, ceteraque eiusmo-  
di, quæ Ecclesijs pijsq; loci debentur, per  
vim aut fraudem occupare. Vt igitur ab  
hoc nefario sacrilegio penæ grauitate  
homines deterreantur, & qui sibi huius  
criminis conscij sunt, quò grauioribus  
penæ vinculis se adstrictos vident, ma-  
iori cura maioriq; studio quærant salu-  
tatis penitentia remedia; id parochijs  
nostris negotijs cura que nostra prouin-  
ciali Synodo dedimus, vt grauissimum  
illud Tridentini Concilij decretum eo  
de genere latum, primo quoque domini  
co die Aduentus & quadragesimæ, in  
Missa cum frequentior est populus, in  
sua quisque parochia recitet, idque vul-  
gari lingua exprimi volumus. Vt autè  
in eo recitando ac promulgando vna ea-  
demque certa sententiæ formula adhi-  
beatur; illud ipsum auctoritate nostra  
vulgariter conuersum recitari ac pro-  
mulgari iubemus.

Hoc idem quod de Tridentino decreto  
edicimus, illis ipsis diebus præstari iu-  
bemus in Fulla à Sanctissimo D. N. Pio  
Quinto die cana Domini lata, ea par-  
te que ad hoc occupationis genus per-  
tinet, communi sermone promulganda.  
Hoc ipsum seruetur, quod de decimis sol-  
uendis Concilio Tridentino grauissimè  
decretum, idem prouinciali nostra con-  
stitutione promulgari iustum est.

Cum legatum aliquod pium, vel annuū,  
vel in perpetuum Ecclesijs locisve pijs  
factum est, vt vel Missæ celebrentur, vel  
exequiæ etiam anniuersaria fiant; hoc  
præter illud quod in hac ipsa recitiam à  
notarijs prouinciali Concilio præstari  
decreuimus, Ecclesiarum piorum ve lo-

Promulga-  
tio decreto-  
rum de oc-  
cupantibus  
ecclesiastica  
bona item-  
que de deci-  
mis.

Prou. I. p. 38  
§. quibus et  
Sess. 2. dec.  
de ref. c. 11.

Sess. 75. dec.  
de ref. c. 12.  
Prou. I. vt tu  
pra. §. Ne p  
incitiam.  
Pia legata  
Archiepif-  
copo de-  
nuncianda.

Ibid. p. 3. de  
piorum lo-  
corum adm.  
128. 41.